



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Theologia Universa**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

De Lege, Metu, Deliberatione, Consensu, opinionum delectu, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38477

utatur, aut aliquando fuisse abrogatam, incumbit probatio istius quod allegat, quam cum dubius exhibere non possit, manet ea lege adstrictus. Quamvis in dubio de legis Acceptatione probabile sit eam non obligare, cum plures doceant leges saltem civiles sine populi acceptatione esse invalidas, ut tenent plerique Canonistæ, *It. Navar. Azor. aliisq. citati à Laym. l. 1. r. 4. c. 3.*

Principium VIII. De Fine Legis cessante.

Quando constat finem adæquatam legis ex toto cessare, cessat etiam totaliter ejus obligatio: uti cum communi docet *Suar. Covar. Ariaga de leg. d. 27. Sect. 6.* Ratio est, quia lex ordinatur tamquam medium ad procurandum bonum aliquod publicum, vel privatum, vel malum avertendum: ergo quando observatio legis ad hæc nullo modo conducit cessat habere rationem talis medii.

Exempli causa: si lex lata sit ut nemo egrediatur civitate ob metum hostis, desinit obligare, si constet hostem procul abesse.

Hinc etiam inferunt aliqui probabile esse, apud *Ariaga supra*, aliosque. Cessante fine adæquato legis in casu particulari, probabile esse pro eo casu cessare legis obligationem. Quia quando ratio adæquata legis ex toto cessat, desinit etiam tota ejus obligatio, ergo dicendum est illam in uno casu desinere, in quo adæquatus ejus finis evanescit. Et hinc inferunt, cessare in casu individuo legem correctionis traxerunt, quando ex alterius admonitione nulla correctio speratur.

Principium IX. Dubius de Debito, de Solutione, & aliis.

Quæsi dubius est, post diligens examen, an aliquid alteri debeatur, nihil tenetur solvere. Quia iniqua esset solutio certa pro debito incerto, ut habet consensus communis.

Verum, qui certus est de debito, & tantum dubius est an persolverit, à solutione non eximitur, *Suar. Vasq. Dian. p. 2. Tr. 6. res. 49.* Eo enim casu pro debito stat possessio. Si tamen ipse simul creditor de accepta solutione dubitaret, opinantur alii, debitorem ad nihil teneri, *Tanner. 1. 2. d. 2. q. 6. d. 4. &c.* Alii docent pro qualitate dubii ad partem obligari, *Laym. Dian. p. 4. Tr. 3. resol. 32. &c.* quod haud dubie tutius est.

Hinc si depositarius, aut commodatarius dubitet an culpâ suâ acquiserit rem quam depositam aut commodatam accepit, non tenetur ad restitutionem pro ea præstandam. Quia uterque est in possessione libertatis, neque lex ullatenus resistit, neque culpa præsumitur, nisi casus sit talis in quo culpa intervenire solet: quod etiam docet *Scilder de conscientia pag. 442. & Bardi pag. 594.*

Si mutuatarius aliquid mutuantis dederit supra sortem, sive valorem rei mutuatæ, & dubium sit an gratuito donaverit, non licet mutuantis illud accipere. Quia lex pro mutuo nihil accipiendi, nisi gratuita donatione, est in possessione; non præsumitur autem donatio: ut etiam docet *Lessius, Bardi, aliisque, contra Cajetanum.*

Dubitans an Censum debeat, non tenetur solvere, nisi creditor antea sit in possessione exigendi: Quia alter est in possessione libertatis non solvendi, nec in tali dubio præsumitur censum deberi: ita etiam *Scilder supra pag. 464. &c.*

Qui dubitat de *etate, doctrina, aut de alia simili conditione requisita ad Ordinem factum, aut aliquod Officium, non potest licite illum Ordinem, vel Officium postulare.* Quia Lex requirens talem conditionem est in possessione, & conditio non præsumitur postulanti inesse, nisi id ab eo probetur, quam dubius probare non potest. Aliud est de quibusdam conditionibus quæ quasi naturaliter insunt, ut innocentia, quæ præsumi solet. Hoc pluribus ritè confirmat *Scilder supra*, quamvis ex principiis à nobis non-nihil diverfis.

Principium X. Dubium Possessori Super-veniens.

Nihil obest dubium superveniens bona fidei possessori.

Quia, ut ex dictis colligitur, debet ei possessio favore. Hinc si emisti equum bona fide, & postea dubites an fuerit Petro ablati, retinere potes, si nihil certius occurrit. Contraxisti matrimonium bona fide, exoritur dubium de valore, post diligentem veritatis inquisitionem si dubium permaneat, licebit debitum conjugale reddere alteri parti bona fide petenti: licere etiam tibi petere, cum multis docet *Thom. Sanchez, & Dicastillo de Just. lib. 2. Tract. 2. disp. 5. d. 8. n. 221. & Diana p. 3. Tr. 3. resol. 15. citans 8. Auctores valde probatos, qui ibi apud eum videri possunt.*

Principium XI. Dubius de Legis Iustitia.

IN dubio de sola Legis Iustitia subditus ei parere tenetur. Quia legislator possidet Jus præcipiendi, à quo subditus per solum istiusmodi dubium non probat se esse exemptum. Quod verum esse, etiam si contra legis justitiam occurrant etiam rationes probabiles, docet hic *Suar. cum pluribus.*

Principium XII. De LEGVM interpretatione.

IN Legum interpretatione, odia sunt restringenda, favores ampliandi: Reg. juris 15. Hoc est, quæ odiosa & pœnalia sunt, non debent extendi ultra proprium & rigidum verborum sensum: secus, quando leges gratiam aliquam largiuntur, & dubitatur de aliquo an verbis legis comprehendatur, judicandum est potius eum comprehendi. Præsumitur enim legislator ad favores quam ad pœnas esse propensior. Hinc in dubio an Censuræ verba te comprehendant, judicandum est non comprehendere.

Ad hæc Principia revocari possunt varix *juris utriusque Regulæ*, quas circa finem hujus 3. Partis simul collectas adduco.

Reliqua Principia de LEGIS aut Præcepti obligatione.

Lex à præcepto distinguitur, quod Lex definiatur, Recta agendorum ratio, à publica potestate communitati denunciata, cum voluntate eam perpetuo obligandi: Præceptum vero sive mandatum tendat tantum ad personas singulas, & cum illis extingui solear.

I. Lex ut obliget debet esse honesta, justa, possibilis, pro communi utilitate lata, constans ac perpetua. Hæc enim legis figem, & naturam constituunt.

II. Potestas Legis obligationem tollendi illius est, cuius est legem instituere: ut legislator, & illius in eadem potestate successor.

III. Tollitur etiam obligatio legis humanæ, per consuetu-

vide
kin

Neo
logia

suetudinem legitime præscriptam in ea non observanda. Præscriptio illa compleri solet per decem annos in lege civili, per quadraginta in lege Ecclesiastica recepta.

IV. Ut lex sub mortali obliget, requiritur ad hoc intentio legislatoris, & materiæ capacitas. Hinc fit ut legislator possit rem gravem sub levi culpa præcipere.

V. Lege humana non censetur per se præcipi aut prohiberi *actus merè interni*: sed tantum quando actus internus requiritur ut externus humano modo procedat. Inde fit ut dum hæresis anathemati subijcitur, non censetur comprehendi hæresis merè interna, sive quæ non prodit in illum actum externum, ut fufius infra Tract. VI.

VI. Finis sive intentio præcepti, non cadit sub præceptum. Hinc etsi jejunium præcipiatur ad macerationem corporis, satisfit tamen præcepto quamvis ex jejunio nulla corporis maceratio sequatur.

VII. Qui ob solum Metum opus præceptum exequitur censetur tamen præcepto satisficere. Ut si servus piger adigatur ad Sacrum die festo audiendum, alias non auditurus.

VIII. Lex in præsumptione fundata cessat obligare, si de contraria veritate postea constat. Quia præsumptio cedit veritati. Fundatur autem lex illa in præsumptione, cujus formale motivum & conditio intrinseca est præsumptio de alicujus rei veritate. Ut si lex instituitur ad evitandum aliquod malum, cujus periculum nullum esse, aut fore deprehenditur.

IX. Leges positivæ ordinariè non obligant cum periculo vitæ, mutilationis, gravis infamiae, aut gravis jacturæ bonorum temporalium. Hinc in tali periculo non obligamur ad præceptum Jejunii Ecclesiastici, ad Sacrum in die festo, ad Confessionis integritatem, &c.

Dixi, *ordinariè*, nempe nisi ex neglectu legis majus Reipublicæ incommodum timeatur, quam æstimari debeat periculum, aut jactura privata. Item, nisi transgressio legis cessura sit in contemptum Potestatis legislatrix, aut Fidei, aut Religionis detrimentum. Quia ubi hæc concurrunt, ipsa lex naturæ exigit ut legis positivæ observatio damno proprio præferatur. Hinc, non obstante gravi periculo, illicita est comestio carnis die jejunii, si in præcepti Ecclesiastici, aut Religionis contemptum illa postuletur. Ex quibus Principis facile alia plurima in particulari deducuntur.

Principium XIII. & XIV. De iis que ex METU fiunt.

I.

Metus alius est justè incussus, alius injustè. Item, Alius est metus cadens in *virum constantem*, qui etiam dicitur gravis, & probabilis; qualis est metus mortis, magni cruciatus, exilii, diuturni carceris, gravis infamiae, amissionis magnæ partis bonorum aut fortunarum, aut aliorum his æquivalentium. Alius est metus cadens in *virum non constantem*, qui dicitur levis, & vanus metus, utpote qui oritur ex levioribus causis, consideratâ simul personæ qualitate, sexu, ætate &c. ex cujus dispositione & imbecillitate metus potest judicari gravior, qui in aliis meritò levior censeretur.

I. Ad evitandum culpam formalem nullus metus censetur justus, aut cadens in virum constantem, si propter illum aliquis in peccatum etiam veniale consentiat: sed sæpe in ordine ad evitandum obligationem ex promissione, aut contractu excusat metus cadens in virum constantem. Ut si quis ob talem metum, debitum incipienti remittat, aut illi promittat matrimonium.

II. Metus non tollit voluntarium: quia non solet tollere considerationem malitiæ, aut honestatis retinenda aut omittenda: minuit tamen peccati malitiam, & penam: quia minuit in agendo libertatem.

III. Vis & coactio propriè & simpliciter dicta quæ membris exterioribus infertur, tollit ab illis actionibus omne voluntarium, omnemque culpam: & sic Patres dicunt per violentiam stupri animam nequam maculari.

IV. Contractus & promissiones ex Metu qui ab extrinseco incussus non sunt, sed tantum ab intrinseco conceptus, omni jure valere censetur: Ut si sponsum Religionem profiteri, ut decretum jure mortis supplicium, vel in mari naufragium effugas, sponcione illi obligaris.

V. Promissiones verò & contractus directè extorti per Metum gravem ab extrinseco proveniente, valent quidem jure naturali & civili, cum in illis non desit consensus absolutus: attamen secundum æquitatem arbitrio Metum passi rescindi possunt. Unde si latroni gravem Metum ad hoc incurrenti penam, aut equum promittas, potes à promissione liberari.

II.

Metus in violatione Præcepti negativi.

Nullus Metus excusat à violatione præcepti naturalis negativi prohibentis rem intrinsece malam. Hinc ob Metum mortis non licet unquam mentiri, aut aliquo signo fidem negare. Repugnat enim rem esse intrinsece malam, id est, à malitia inseparabilem, si possit in aliqua circumstantia honestari.

III.

Metus in violatione Præcepti positivi.

Metus gravis sæpe excusat à præcepto positivo tam divino, quam humano.

Hinc cum periculo vitæ, aut gravis infamiae, non tenetur observare integritatem Confessionis, aut explorare votum, aut succurrere proximo in extrema necessitate corporali.

Verùm in extrema necessitate spiritali non obstante mortis metu, teneris v. gr. baptizare infanrem certò moriturum, aut absolvere peccatorem moribundum, quando constat aliâ viâ non posse juvari. Ad hæc tenetur etiam in gravi necessitate Parochus, cui ea cura ex officio incumbit.

Principium XV. Violatio Præcepti indirecta quomodo sit peccatum.

Non violat præceptum, qui ponit causam, sive actionem indifferentem, ex qua præter intentionem sequitur effectus malus, & æquè immediatè bonus, quando hujus bonitatis, illius malitiam elidit.

Ratio est, quia talis non intendit directè effectum malum in se, uti supponitur. Neque illum intendit indirectè.

indirectè in sua causa, cum illius causam assumat tantum in ordine ad effectum bonum, & solum permittit se habeat ad effectum malum per accidens securarum, quem non tenetur cum omissione aequalis boni, & suo incommodo impedire. Esset enim illa generalis, & frequens obligatio humano commercio nemis onerosa, uti fufius declarat *Sanch. in precepta l. 1. cap. 7.*

Hinc 1. Licita est Mercatori venditio gladii, etsi timeat inde securam injustam alterius lesionem; aut vini, ex quo videt fortè alios inebriandos: si nequeat sine notabili detrimento gladium, aut vinum ementi negare.

II. Licitum quoque est Duci in bello iusto turrim hostilem evertere, etsi videat innocentes in ea conclusos eadem ruinâ involvendos esse.

III. Possunt famuli equum parare, & officia quædam alia remotiora præstare, licet cogitent Dominum suum obsequio illo ad peccata usurum. Quia ex omissione istius obsequii sequeretur ordinariè in famulos gravis indignatio, aut percussio, quæ efficitur malum ex eorum actione securarum ipsis non imputetur.

IV. E contra, ad peccatum imputatur effectus malus, qui prævidetur secururus ex causa secundum se indifferenti, quando non adest ratio proportionata, quæ causam illam poni requirat, vel quando actio hæc & nunc non habet alium usum nisi malum. Quia agens tunc censetur juxta morale iudicium hominum intendere istum malum usum seu effectum. Hinc illicitum est apponere hospitibus cibum, quo videntur violaturi jejunium, quando ad hoc nullus urget Metus incommodi gravioris: Non licet etiam alium juvare ad ascendendum per fenestram, qui præsumitur furtum, fornicationem, aut aliud grave peccatum intendere, & sic de cæteris. Confirmanatur hæc ex propositione si. ab Innocentio XI. reprobata, *Famulus qui somniis humeris &c.*

Quæres: Quomodo possit Confessarius violationem præcepti mortalem, à veniali peccato discernere?

Respondeo: Peccatum mortale à veniali optimè discerni per Regulas sequentes. *Primo, ex gravitate materie* prohibita: aut præceptæ colligitur gravis obligatio: materia autem gravis censeri debet quam prudentes solent multam aestimare, sive in se, sive in ordine ad finem à legislatore intentum; v. g. exercere opus servile sine necessitate per notabilem partem diei festi, non autem per unam horam. *Secundo, si legislator utatur verbis gravior prohibentibus in materia non levi, v. g. mandamus, districte prohibemus, vel precipimus:* potest enim, si velit, & id declaret, materiam gravem leviter prohibere. *Tertio, mortalis est violatio præcepti cui additur gravis poena, aut censura Ecclesiastica, aut quando aliquid præcipitur, in virtute sanctæ obedientiæ.* *Quarto, ex parte penitentis;* censentur Rudes mortaliter peccasse, quando ostendunt se dum peccarent rem graviter apprehendisse, aut magnam conscientiæ turbationem, & remorsum habuisse: vix enim norunt hi rudes alio indicio formalem peccati sui malitiam explicare.

REGULÆ porro annotandæ, de Deliberatione intellectus, & Consensu voluntatis ad mortale, aut veniale, equisitis.

L Ad peccatum quodcumque incurrendum requiritur aliqua malitia moralis consideratio, id est, ad R. P. Arsdok. Tom. II.

eam advertere, aut adversionem debitam sponte non impedire. Hinc etsi intellectus satis advertat rationem delectabilis, aut utilis, & inculpatè nihil cogitet de malitia suæ actionis, nullum omnino peccatum committet, quamvis actio illa longo tempore duraret. Ratio est, quia ad culpam requiritur libertas, nequit autem esse libertas sine rationis advertentia & deliberatione, deliberatio verò nulla potest esse circa malitiam amplectendam quamdiu hæc non cognoscitur. Ut si quis in die jejunii, nihil de præcepto cogitans, advertit tamen cenam sibi jucuudam & utilem, nullum peccatum cenando committit.

II. Si insit subjecto duplex malitia, & tantum ad unius speciei malitiam advertatur, circa hanc solum peccatum admittet, non circa alteram. Ut si quis rem sacram furetur, & advertat ad malitiam furti; non autem sacrilegi, solum furti peccatum committet. Quia non adfuit principium sufficiens de hac posteriori malitia deliberandi.

III. Ad peccatum mortale plena consideratio malitiae gravis requiritur. Vel, consideratio malitiae in genere, quando absque debito examine malitiae levis aut gravis ad agendum aliquis temerè se resolvit: Vel de his dubitans ad agendum procedit. Primum ad mortale requiritur: quia cum peccato lethali dissolutio amicitiae divinae, & poena æterna debeat, alienum est à recta ratione credere, tanto & tam pleno supplicio hominem absque plena & perfecta consideratione obnoxium fieri. Secundum etiam declaratur: quia qui sic sine examine procedit, manifesto se peccati mortalis periculo exponit: Et tantumdem facit ac si diceret, sibi perinde esse sive Deum graviter sive leviter offendar.

Dixi in primò, plena consideratio, non enim sufficit ad mortale semi-plena & imperfecta consideratio malitiae etiam in se gravis: qualem habent qui nondum à somno plenè excitati in motibus veneris, aut pollutione malitiam tantum imperfectè & confusè animadvertunt, quamvis hæc sufficiat ad veniale: plena autem consideratio comparatur cum æquam habet de illis homo jam plenè & perfectè à somno excitatus, & talis requiritur ad mortale. Et ita differentiam hanc, sæpè in praxi difficilem, explicat *Cajetanus* in Summa, verbo, Delectatio, & *Vasquez* Disp. 107. Cap. 4.

IV. Ex parte voluntatis, ad peccatum mortale plenus & perfectus voluntatis consensus requiritur: sicut diximus de perfecta consideratione ex parte intellectus. E ratio eadem est, quia sine tali consensu non censetur incurri Dei inimicitia, & poena æterna: cum etiam in commercio & contractibus humanis, infinities levioris momenti, frequenter soleat consensus ille perfectus considerari. Hinc posita etiam plenà consideratione intellectus, sine hoc consensu voluntatis dari nequit lethale peccatum. Quia ubi sunt plures iudices ordinati, sententia finalis ipse stat ad iudicem supremum. Ratio autem superior est in anima supremus Iudex, & consensus plenus ad mortale requisitus, est sententia finalis in tribunali conscientiae. Ita etiam *D. Thomas, Cajet.* alique hic cap. 2. q. 15. art. 4. Ut autem hæc in praxi & actibus particularibus clarius discernantur, notandæ porro sunt Regulæ sequentes.

V. Quando rei pravæ appetitum advertens, se ita dispositum sentit, ut quamvis facile eam rem actu exequi possit,

de
Kin

theo
logia

posset, non exequeretur, metu peccati, signum habet ex quo iudicet, aut consensum nullum, aut tantum imperfectum & venialem adfuisse. Quia cum potentia executiva promptè subit voluntati, talis dispositio indicat voluntatem nondum se ad consensum determinasse.

VI. Quando *motus pravus* in aliquam rem tempore vix perceptibili insurgit, & cum primùm occurrit cum rationi adversari, voluntas curam adhibet illum expellendi, per hoc datur indicium iudicandi nullum fuisse consensum perfectum sive mortalem. Quia cum præcedere debeat consideratio, sive discursus intellectus de rei malitia, spatium temporis saltem breve ad deliberandum requiritur, cum consensus peccaminosus non possit esse indeliberatus.

VII. Non satis colligitur *consensus in peccatum* ex sola delectationis sensibilis perseverantia post plenam illius considerationem. Quia appetitus sensitivus quo delectamur, non est plene subditus voluntati ut ipsa imperante statim desistat, sicut ipsi subiectus est motus manus, lingua, & similibus membrorum.

VIII. Quando quis dubitat, an dormiens, an vigilans, an sui compos, an ad alia vehementer distractus, aliquid voluerit, dixerit, aut fecerit, argumentum habet maximum non plenè deliberationis, aut consensus perfecti ad mortale requisiti. Quia plenus usus rationis non impeditur, homines de suis actibus certiores reddere solet: adeoque si plenus ille usus rationis tunc adfuisse, hominem de sua actione dubium non reliquisset. Et hoc argumentum tantò certius est, quanto magis qui dubitat, peccatum timere & abhorre solet. Sicut qui morbum multum timet, etiam longius distans, facilius apprehendit se infici, quam alius audentior infecto propius assistens.

Ex his principiis multum lucis hauriet tam pœnitens, quam prudens Confessarius, ut discernat peccata à non peccatis, mortalia à venialibus, reservata à non reservatis, cum nulla censeantur reservata quæ desectu deliberationis, aut consensus non sunt mortalia.

Principium XVI. DE PROBABILITY, & quomodo Dubium à Probabili distinguendum?

Valdè accuratè notandum est, magnam esse differentiam inter dubium (de quo supra actum est) & opinionem, sive sententiam probabilem, quam differentiam non satis etiam nunc aliqui discernunt.

Dubium est suspensio iudicii circa rem propositam, sic ut nequeat intellectus affirmare ita esse vel non esse. Hoc autem oritur aliquando ex penuria rationis pro utraque parte, ut cum dubitatur, an Stellæ sint pares, an impares: aliquando ex æqualitate aliqua rationum pro utraque parte concurrentium, unde fit ut intellectus nequeat se ad alterutram partem determinare, quamvis æqualitatem rationum actu expendit: quamvis voluntas stante illa motivorum æqualitate, aliquando possit aliunde intellectum ad unius tantum partis assensum inclinare.

Opinio autem probabilis est, quæ nititur ratione, vel auctoritate gravi, quamvis ex se non certa, ex qua scilicet homo prudens in rebus magni momenti concludere solet.

Unde patet primò, opinionem dici probabilem *intrinsecè*, quando pro motivo habet rationes ab auctoritate distinctas: probabilem verò *extrinsecè*, quando sola auctoritas movet ad assensum.

Patet secundò, Opinionem verò probabilem debere niti motivis, quæ per se sufficiant ut intellectus possit determinari ad eliciendum pro una parte iudicium prudens, quamvis incertum, & inevidens, eo quod motiva istius iudicii non sint tam evidentiæ ut possint intellectum de rei veritate certum reddere. In dubio autem motiva tam sunt exigua, aut ex utraque parte tam æqualia, ut si inter se conferantur, nequeant pro ulla parte assensum generare, aut conscientiam ad prudentem actionem per se dirigere.

Itaque *ulterius examen*, quod diximus adhibendum, dum conscientia hæret dubia, ad hoc plurimum servit, ut majoris momenti rationes inveniantur, quæ sufficiant ad formandum opinionem probabilem, quæ possit homo se à dubio expedire, & ad operandum prudenter & practicè resolvere.

Principium XVII. & XVIII. OPERATIO quando licita ex Opinio verè probabili, & minus probabili.

Licita est plerumque operatio, vel omissio quæ procedit ex opinione verè probabili. Dixi, plerumque, quia ad hoc quædam in sequentibus sunt observanda, & excipienda.

Ratio hujus patet ex ipsa definitione, & natura opinionis probabilis, & ex communi hominum assentione. Nemo enim operationem illam vituperò dignam existimat, quam ex gravi rationis, vel auctoritatis fundamento licitam esse iudicavit, quando post diligens examen ad majorem veritatis certitudinem pervenire non potuit. Sic enim viti prudentes in rebus magni momenti procedere solent.

De communi illo Prudentium iudicio in omni genere hominum ritè dispositorum, patet primò ex communi consensu Doctorum, qui in hac sententia omni tempore conveniunt, quorum ultra centum & septuaginta adferri possunt qui in suis Scriptis eam tradiderunt, quibus tantum pauci sunt qui repugnant moderni.

Secundò. Idem consensus reperitur in tota Republica Hierarchia. Nam clarum est pleraque Principum, Superiorum, ac Magistratum præcepta imponendis gabellis, sive aliis obsequiis, & legibus, fundari sæpè in sola probabilitate de honestate in hic & nunc præcepta. Quod si hæc non sufficerent, sequeretur illos non posse licitè præcipere ulla alia, quam quæ omnino certò scirent objectivè esse honesta, & legitima: adeoque paucissima possent licitè præcipere: Quia ex illis quæ per se certò honesta sunt, pauca, ut obtineantur, præcepto indigent. Sequeretur insuper, Subditos non posse obtemperare opus directè certum non esset, honesta omnino esse quæ à Superioribus præcipiuntur. Et sanè curiosum esset in his omnibus non præcipere, & non obtemperare, si nullo modo possent licitè probabilitate de objecti honestate se conformare.

Tertiò. In omni tribunali, nullus Causidicus, aut Advocatus dubitat se honestè ac prudenter procedere, defendendo Causas propter rationes quæ probabile iudicium generant de earum iustitia, aut honestate.

Quartò. Medici omnes, si non habeant medicinam quas iudicant certò profuturas, (quod rarissime contingit)

tingit) non dubitant adhibere medicamenta quæ judicant probabiliter ad ægri sanitatem conducere, quamvis non sine formidine partis oppofite. Neque sunt qui in hac praxi sceleris eos condemnent.

Quintò, Mercatores passim in suis contractibus, & navigationibus, Artifices & Agricola: in suis Commercialibus judicant se prudenter operari, quando probabilem tantum habent spem lucri, etsi nulla adit certitudo locci obtinendi, sed potius formido non levis de opposito. Hos verò omnes si in hoc imprudentes, & perverfi judicii esse contendas, receptos orbe toto mores, & inditum passim hominibus rationis dictamen abolere necesse est.

Siguitur hæc probabilitas communi hominum judicio ad prudentem operationem sufficiat in rebus illis, ex quibus etiam illorum fortuna, salus, & status dependet, quomodo eadem sufficiens non erit, ut actiones humanae prudentes, & moraliter honestæ, & rationi conformes censentur? Quod latius exponitur paulò infra inter Controversias recentiorum Cap. 2.

Licitum est sequi opinionem verè probabilem, relictâ etiam aliquando opinione oppositâ *probabiliori* & *tutiori*: seclusâ tamen certâ injuriâ, periculo proximi, vel lege, aut conventionione in contrarium, aut periculo gravioris mali, & ex causa, & aliis de quibus cap. 2. infra. Hæc sententia est communis, & à longè maxima Theologorum parte semper recepta ad eò ut pro eacum S. Antonino, Maldero, Wigero, supra centum Auctores citari possint, ut infra ostendam.

Ratio hujus clara est. Primò, quia qui sequitur sententiam gravi auctoritate, vel ratione non levis momenti innoxiam, non agit temerè, sed prudenter procedit, agendo communi more hominum prudentium: Atqui opinio minus probabilis nititur auctoritate gravi, vel ratione non levis momenti; de tali enim sententia minus probabilis hic agimus: Ergo qui juxta illam operatur, non agit temerè, sed ut solent procedere in suis rebus viri prudentes: prudenter autem operando nemo censetur peccare.

Secundò, Constat multò probabiliorem esse auctoritate Doctorum hanc sententiam, quod liceat aliquando sequi minus probabilem, minùque tutam, quam opinionem, quæ id negat, Ergo omnibus expensis amplectendo opinionem minus probabilem, relictâ sequor sententiam probabiliorem, quæ docet licitum esse sequi opinionem minus probabilem.

Tertiò, quia esset onus parùm conforme infirmitati humanae, si cuius sub reatu peccati incumberet in rebus agendis semper inquirere, Ultra duarum opinionum sit probabilior & quoad omnia tutior. Imò sepius cogentur homines actionem rectè inchoatam interrompere, quoties scilicet de novo se offerrent aliqua rationes, quæ *facerent* opinionem, quæ antea videbatur minus probabilis, modò apparere probabiliorem. Rationes hæc fusiùs deducuntur infra *Tract. I. Cap. 2. & sequentibus*.

Hinc etiam probabilis sit legem purè penalem in materia gravi obligare sub mortali, uti cum 19. aliis docet Suarez, licitè tamen sequeris opinionem contrariam cum Navarro, & 7. aliis probatis auctoribus, sic sententibus. Undè similia resolves plurima.

Dixi supra, seclusâ certâ injuriâ proximi aut lege, aut conventionione in contrarium, aut periculo gravi ma-

R. P. Arjdeck. Tom. II.

li, &c. Quia illa impediunt usum opinionis speculative probabilis, eo quod efficiant ne tunc possim habere judicium practicè certum de honestate meæ operationis. Hinc licet mihi sit probabile feram esse non hominem quam video moveri in sylva, si tamen probabilius, aut etiam probabile sit esse hominem, non possum me licitè ad jaculandum in eam resolvere; idque propter periculum gravioris mali, quod in adimenda hominis vita consistit.

Principium XIX. De Conscientia Practicè certa.

Qui operatur cum opinione verè probabili, potest reflexe sic procedere ut habeat conscientiam practicè certam, quod licitè operetur.

Ratio est. Quia potest esse certus quod opinio, quâ nititur, sit probabilis, id est, nitatur motivis gravibus, ex quibus viri prudentes in rebus magni momenti operari solent. Atqui certus est quod prudenter agendo non possit peccare. Ergo practicè securus est si sic procedat, quod hic & nunc operando peccatum non admittat. Illa enim conclusio est practicè certa, & secuta, quæ ex præmissis certis ac indubitatis deducitur: Et quamvis de materiali honestate objecti non sit securus, certus tamen est de formali honestate suæ actionis. Undè si probabiliter jejunos, judices tibi hic & nunc bonum esse communicare, hoc ipso practicè certum est tibi licitum & bonum esse ad Communionem accedere, etsi aliàs spectatâ rei exigentiâ, sive ex causa tibi non fatis nota, communio illa prohibita foret.

Neque hoc est dictamen aliquod novum, aut à Theologis excogitatum, sed ipsi naturæ rationali insitum, & juxta quod procedunt passim homines nullis Theologiæ principiis, sed solo rationis lumine instructi, dum circa res per se non evidentes operantur, etsi ad ratiocinationem suam distinctè non reflectant. Sic agricola dum hæret incertus, an propter periculum pluvie liceat hic & nunc in die festo fenum, aut segetem colligere, adit suum Parochum, & ab eo resolutionem postulat. Parochus pro captu suo resolvit id licere, quamvis à parte rei periculum pluvie tam magnum non sit ut verè excuset. In hoc casu agricola determinat se ut credat Parocho, quamvis motivum illi credendî multis de causis sit fallibile. Et tamen certum est, quod in hac agricolæ dispositione, liceat illi in die festo laborare; & hoc ipsum evidenter cognoscit: quia rationis ductu procedit ad hunc syllogismum & conclusionem evidentem. Licitum est mihi omne objectum quod post idoneum examen prudenter judico non esse prohibitum. Atqui ego post idoneum examen apud meum Parochum, an tali die colligere fenum sit prohibitum, prudenter judico illud non esse prohibitum. Ergo hic & nunc mihi licitum est velle tali die fenum colligere. Hæc conclusio est ultimum dictamen conscientie, ex præmissis evidentibus, certum & evidens, cui voluntas in operando se rectè conformat. Quod ex natura rei etiam ulterius declaratur. Si post operationem illam Agricola à quopiam interrogetur: quomodo ausus fuerit in die festo fenum colligere? Non respondebit, quia mihi certum erat pluviam secuturam, aut Pastorem meum in hoc à vero non aberrare. Sed dicet, quiaposito illo probabili pluvie periculo, & Pastoris responso,

vide
Kin

Theo-
logia

certò iudicavi & conclusi, mihi tunc licitum esse fœnum colligere. Ecce certitudo conscientia non ponitur in ipso objecto circa quod agendum est, sed in evidenti & ultimo dictamine conscientia de licita operatione hic & nunc exercenda.

Porro simili modo omnes passim homines recti ac sinceri, quoties operationis malæ arguuntur; ex ipsorum rationis dictamine hanc excusationem tamquam legitimam depromunt: Omnibus ut porui consideratis, & motivis non levibus inductus, conclusi sic mihi faciendum esse; si erravi, non est mea culpa. Et in hoc, quoad forum internum conscientia; tam ipsi, quam alii non dubitant se prudenter acquiescere.

Hujus principii evidentia ostenditur etiam à priori in ordine ad iudicium divinum. Quia non habemus à Deo aliam Regulam proximam actionum nostrarum, quam prudens dictamen conscientia nostræ: & secundum hoc à Deo iudicabimur, non secundum objectivam rei veritatem, à qua viri probi & sancti sæpe aberrant, etiam dum meritorie operantur. Ergo quando post debitum examen ex congruis motivis prudenter iudicamus aliquid licitum esse, & hoc ipsum reflexè cognoscimus, inde nobis evidenter constat, illud Regulæ nobis à Deo constitutæ rectè conformari, ac proinde honestum & licitum esse. Hoc autem est quod principium illud importat: ergo manifestè constat de illius principii evidentia.

Et hæc est unica certitudo conscientia quæ ad operandum circa objecta magis vel minus probabilia formari potest: & quæ ritè elucidata facile amover lapidem offensionis, sive suspitionis de modo minus folido in illis procedendi: quod & pluribus exponitur infra de Controversiis generalibus, Cap. 2. §. 1. pag. 91. & sequentibus.

Principium XX. Quid in probabili de Administratione Sacramentorum.

IN Administratione Sacramentorum, non licet sequi sententiam speculativè probabilem circa valorem Sacramenti, quando non deest potestas sequendi tutiore.

Hinc illicitum est baptizare infantem in solo digito, vel aquâ rosacæ, aut nivali, quando aliter fieri potest: et si speculativè, id est, consideratâ ratione vel auctoritate, sit probabile Baptismum in digito validum esse.

Item, non licet moribundo conferre absolutionem probabiliter tantum valituram, quando certior impenditur potest.

Ratio est primò, quia dignitas Sacramenti postulat, ut quis merè pro suo arbitrio non exponat se periculo conficiendi Sacramentum invalidum: nam hæc res est maximi momenti, & religionis materia dignissima. Inde fit, ut si Sacramentum sit invalidum, transeat in rem profanam: ergo sequendo opinionem tantum probabilem absque necessitate violat virtutem religionis, exponendo eatenus Sacramentum invaliditati.

Dices, tunc ministrum Sacramenti procedere prudenter, si præcisè spectetur virtus religionis, ut sit in aliis materiis, dum sequimur sententiam probabilem: ergo hic idem dicendum est. Respondeo disparitatem esse, quod in aliis materiis non agatur de rei valore, & quidem rei dignissimæ, sed tantum

de operatione nostra, ut fiat citra culpam formalem, etsi fortè non vitetur malum materiale. Longè autem major oritur obligatio, dum periclitatur valor rei sacræ, quam quando incurritur periculum rei tantum materialiter malæ; quia licet opinio probabilis possit reddere actionem licitam, non potest tamen Sacramentum facere validum, si contingat requisita ad materiam, formam, aut valorem deesse.

Ratio est secundò, quia Sacramenta ordinantur ad singulare bonum suscipientium: ergo repugnat claritati conferre Sacramentum incertum; quando certum commodè conferri potest: etenim sic proximum exponitur, cum suo gravi damno, præsentis periculo, ne privetur gratiâ & effectu Sacramenti, qui à vera materia, forma, & valore dependent: De quo periculo spectat ad Ministrum admonere suscipientem, si cum opinione merè probabili extra necessitatem Sacramentum sibi administrari desideret.

Ex dictis etiam patet, quam merito ab Innocentio XI. damnata sit propositio 1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi sententiam probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Principium XXI. Quid possit in probabili Index, Advocatus, Medicus, Ius incertum &c.

Respondeo ad primum: Quando circa ius litigantium opiniones sunt utrimque diversæ, tenetur Iudex sequi opinionem propriam, vel illam quæ ipsi, omnibus expensis, videtur esse probabilior. Ita docet *Sotus, Valencia, Bard, Bannez, Thomas Sanchez, Scildere* de conscientia pag. 147. Contra *Juanem Sanchez, Orvedum, Salas*, & alios qui tradunt, saltem licere Iudici sequi alienam opinionem contra propriam in materia civili, & questione juris, nisi ubi lex, aut consuetudo id vetat.

Ratio cur Iudex teneatur sequi probabiliorē, hæc est. Quia non habet potestatem aliter iudicandi quam voluerit Respublica, aut alii à quibus suam potestatem accepit: Atqui illi omninò censendi sunt voluisse ut iudicaret juxta id quod omnibus expensis ipsi videretur probabilius. Hoc enim maxime expediebat, ne locus esset largitionibus, aut acceptationi personarum. Vix enim de aliqua causâ litigatur, in qua utrimque probabilitas aliqua non occurrat. Et hoc videntur Iudices promittere quando officium suscipiunt, ut colligitur ex Authentica ad legem, *Quæ non novam*, apud *Scildere supra*. Unde etiam prescripta est ab Innocentio XI. *Propositio 2.* in Decretis quod post paucas paginas infra inserimus.

Quando autem una pars non apparet alterâ iusta probabilior, debet Iudex vel rem inter litigantes æquo dividere, vel, si dividi nequit, aliter utrique parti satisfacere. Nisi fortè alter litigantium vel sit possessor, vel sit reus, cui etiam contra actorem faveret possessio. Excipi etiam solent causæ quæ vocantur *piz*, & privilegiatæ, quales sunt causæ pro matrimonio, dote, libertate, pupillo, pro quibus iudicandum est, cæteris paribus, etiam contra reos: quia sua positivum ita disponit.

Respon-

Respondeo ad secundum: *Advocatus* potest licite defendere causam quæ ipsi videtur minus probabilis, modo spes affluat fore ut ea causa Judici probetur. Ita communius docent Theologi. Quia per hoc nec clienti, nec parti contrariae injuriam facit, non magis quam si ipse cliens tali casu suam causam apud Judicem ageret. *Advocatus* enim controversiam non definit, sed Judici eam relinquit, quem merito supponit, omnibus auditis, ex æquo & bono judicaturum.

Respondeo ad tertium: *Medicus* tenetur adhibere suo ægro medicinam certam, relicta aliâ probabiliter tantum profutura, si certam ad manum habeat, & sine suo, & ægri incommodo adhiberi possit. Ratio est, quia primò Charitas ad hoc obligat, ut consideranti facile patet. Secundò, obligat Justitia, si sit *Medicus* mercede conductus: quia inter ægrum & medicum intercedit hoc pactum saltem implicitum, ut applicet remedia quæ videntur securiora, & probabilius profutura. Hic ergo intercedit conventio, quam supra *Princ. 19.* diximus posse ob stare istius sententiæ speculative probabilis.

Quod si non inveniatur remedia certa, tenetur *Medicus* adhibere illud quod videtur ipsi securius omnibus spectatis. Hoc enim merito importat tacita conventio qua quisque censetur pacisci cum suo medico: & ipsi *Medici* quando ægrotant idem volumine sibi ab alio præstari. Nec frustra addidi, *omnibus spectatis*, tenetur enim *Medicus* considerare non tantum suas rationes & experientias (quæ nimis sepe ultra communem potiunculam, & lanceolam parùm procedunt) sed etiam auctoritatem & experientiam aliorum peritiorum: hoc sanè studium, & hanc curam æger à medico quem conducit suo jure expectat.

Quando autem contingit *desperatam* esse vitam ægri, nisi applicetur medicina de qua æquè incertum est, an sit profutura, an nocitura, potest ea adhiberi, ut docet cum communiori *Thomas Sanchez, Layman, Bonacina, Scildere de conscientia.*

Respondeo ad quartum: Non licet homini privato auctoritate propria occupare rem ab alio *bona fide possessam*, quamvis probabile, vel probabilius sit rei Dominium ad illum pertinere. Ita habet sententia communis, *contra Joan. Sanchez, disp. 33. num. 42.* Ratio est: Quia bonæ fidei possessor justè rem possessam defendit contra privatam eam eripere volentem, non minus quàm sciens rem certò esse suam: quod verum est, etiam si inceperit dubitare an verè res esset sua: idque constat ex juris *Reg. 36. digest. de reg. juris: Bona fides tantundem possidenti præstat quantum veritas, quoties lex impedimento non est.* Ergo privatus propter jus suum probabile non potest bonæ fidei possessori rem eripere. Nisi enim hoc leges inliberent, incertissima passim esset rerum possessio, & mutuis rapinis perpetuo obnoxia.

Docent plerique, idem dicendum etiam de Regibus probabile tantum jus habentibus ad invadendum aliquod regnum, vel provinciam. Contra tamen adferunt Auctores non pauci. Res igitur decidi potest per judicium; vel arbitros: quod si altera pars judicio stare nolit, propter hanc injuriam invadi potest.

Principium XXII. Regule pro Opinione delecta.

PRO notitia & delectu opinionis verè probabilis, ut securius procedatur, magni momenti erunt Regule sequentes.

I. Si duo tresve Scriptores sive antiquiores, sive recentiores sententiam doceant, quam alii passim censent improbableem, non debet illa probabilis æstimari.

II. Etsi reperitur auctor unus, alterve, aut plures aliquid obiter asserere, quasi per transennam, sine ullo istius materiæ examine, per hoc non redditur sententia illa probabilis, præsertim si alius, qui eam materiam ex professo tractavit, contrarium doceat.

Item, Quando Auctor aliquis cognoscitur solitus affectare opiniones novas, singulares, aut laxiores, si in eo reperias sententiam quæ primâ fronte apparet paradoxa, sive à communi sensu plurimum discrepare, etsi alios pro ea citer, non rectè eam sententiam judicas probabilem, nisi eam ulterius apud alios, non similes, examines. Prudenter enim suspicari potes, talem Auctorem pro suo genio magis novitati, quam veritati studuisse.

Idem dicendum, quando pro sententia aliqua duos tresve Auctores citatos reperies apud aliquem Scriptorem, qui deprehenditur sepe in citando parum esse fidelis: ideoque consulendi sunt alii ut formetur judicium prudens de probabilitate istius opinionis.

III. Quando auctor doctus & probus, non tantum ut veram docet, sed reflexè & in terminis affirmat, sententiam aliquam omnibus consideratis esse probabilem, aliis id præcisè non negantibus, meritò credis certitudine morali, & humanâ illam esse talem; eumque ea de re Doctorum judicia maturè examinasse; eoque magis si ipse sententiam contrariam doceat; tunc enim vel maxime apparet, illum ex privato erga suam doctrinam affectu non judicare.

IV. Quando auctor, qui solet esse in citando & examinando valde accuratus, adducit quatuor vel quinque probatos, aut magni nominis auctores pro aliqua sententia, prudenter judicas illam esse probabilem. Meritò enim & illius fidelitati in citando, & horum judicio in asserendo fidem adhibere potes, cum supponantur esse graves, & probati auctores. Quod alii etiam de paucioribus admittunt. An, & quando possit unicus Auctor sufficere, dicam infra *de prob. opin. cap. 2. §. 4.*

V. Notandum porro pro iis, qui libris destituuntur, pro quibus potissimum scribimus. Quando à viro gravi, cui meritò fidem negare non potes, tibi absque scripto serio affirmatur, sententiam aliquam esse probabilem, rectè & prudenter judicas illam esse talem. Illius enim auctoritas respectu tui est omnino gravis, nec habes rationem dubitandi, quin de iis, quæ ad probabilitatem requiruntur, sit ritè instructus, & informatus. Sic rusticus rectè credit, & acquiescit suo Parocho, aut Confessario, dum sententiam aliquam probabilem esse affirmat.

de
Kin

theo
logia

Principium XXIII. An, & quomodo opiniones aliquando Probabiles, possint per Censuras aut aliter fieri Improbabiles.

Dicendum primò, Prælatos Ecclesiasticos tam Seculares, quàm Regulares posse ob justas causas suis subditis prohibere, ne certas Propositiones doceant, sustineant, aut in praxim externam deducant, etsi non desint alii probati Auctores qui doctrinam illam ut probabilem recipiunt.

Quia Prælati respectu suorum subditorum habent jurisdictionem, ut in materia etiam indifferenti ferant leges eorum directioni conducentes, qualis potest esse abstinentia ab usu doctrinæ, quæ prudenter judicatur illis nocitura, etsi ea non sit aliis interdita.

Dico Secundò, Hujusmodi prohibitio, aut censura, alios præter eorum subditos obligare non potest, quominus doctrinam ab iis prohibitam doceant; eamque in praxi sequantur.

Quia ista censura aut prohibitio, doctrinæ veritatem non attingit, sed tantum vim habet alicujus præcepti ut alios ab ejus usu coerceret, præceptum verò Prælati ultra ejus subditos extendi non potest.

Dico tertio, Eadem ratio est de censura alicujus Doctores, aut Academiæ, quæ istius tantum Facultatis Academicæ ad obtemperandum obstringit: doctrinam verò per se non reddit improbabilem, sed vim habet privatæ auctoritatis, qualem obtinent alii Auctores paræ dignitatis, & eruditionis, qui de eadem doctrina suum suffragium tulerunt. Hinc sicut Sedes Apostolica (quæ sola in reliquam Ecclesiam magisterium exercet) aliorum sæpe Doctores sententias damnat aut interdicit, sic ipsas Prælatorum aut Academiarum censuras non raro graviore censura castigat, & erroneas esse declarat, ut probant non parca quæ præsto sunt superiorum temporum exempla.

Et hoc quidem Censurandi munus proprium esse Romano Pontifici, rectè docet Facultas Theologica Academiæ Lovaniensis in Justificatione suæ Censuræ editæ contra aliquas Propositiones de Prædestinatione, Gratia Christi &c. anno 1588. ubi pag. 6. sic loquitur.

Et Censuræ quidem illi nomen dedimus, non quasi damnationis auctoritatem nobis sumentes, quam Sacrosanctæ Apostolicæ Sedis propriam esse non ignoramus, sed Scholasticum tantum ferentes judicium sententiamque nostram dicentes, aut ut verius loquamur, non aliud quam fraternam correptionem interponentes &c. At quomodo eadem iterum, & quidem sub nomine Censuræ, quamvis mandato Sixti V. pridem irritæ, novis typis quasi rediviva nuper lucem aspexit?

Itaque sciendum est, hoc modo opiniones, quæ aliquibus Auctoribus visæ sunt probabiles, aliquando fieri omninò improbables: nempe si constet illas, non ab homine tantum privato, sed ab Ecclesia, vel Pontifice aliqua Censura notatas esse, aut prohibitas omninò doceri, aut in praxim deduci.

Tales sententias in doctrina morali, non ita pridem ab Alexandro VII. & Innocentio XI. ritè proscriptas ad communem utilitatem & doctrinam hinc unà cum Decretis appono, ut omninò sciat etiam in Missionibus, ubi occasiones occurrent, ab earum usu, & praxi cavendum esse.

Censeo tamen easdem propositiones non fuisse certò & practicè probabiles, imò varias ex illis, etiam ante prohibitionem, fuisse omninò improbables. Sed de his latius infra, ubi respondemus ad objectiones moveri solitas contra veram & practicam probabilitatem. Decreta ipsa integra Alexandri VII. & Innocentii XI. hic fideliter subjicimus.

ALEXANDRI VII.

Decreta duo contra Propositiones 45.

Feriâ V. die XXIV. Sept. M. DC. LXX. in Congregatione Generali S. Romanæ & universali Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram SS. D. N. D. ALEXANDRO Archiepiscopo, Providentia Papa VII. Ac Eminentissimis ac Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus, Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplina relaxativas, & animarum perniciem inferentes; partim antiquatas iterum fuscitati, partim noviter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam indies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modis opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fidei in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ Christianæ corruptela. Quare ne ullo umquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatarsi, seu verius perverti contingeret; idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi ipsiosâ, lataque, per quam itur ad perditionem, viâ, pro Pastoralis sollicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in sacri Theologiae Magistris, & deinde Eminentissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus ferè commisit: qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulo incumbentes, & maturè discussi usque ad hanc diem infra scriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ singillatim exposuerunt.

1. Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur obere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir Equestræ ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solèmi prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare Facultati Tridentinæ, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio sacra Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati regulares possunt in foro conscientie absolvere quoscumque seculares ab hæresi occultis, & ab excommunicatione propter eam incursum.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarum, qui in Sacramentali Confessione tributa

pani-